

magistrorum Dan. XII. 3. Quamquam Homines non
ad unum modo, vel etiam civilem felicitatem, sed ad spiritualem
potius, ac eternam salutem. Ex his, & aliis, non obscure tum Digni-
tas, tum auctoritas, tum utilitas Sacerdotum nobis innotescit. Et ipse
Deus non modo peculiariter hunc Ordinem consecravit sibi, speci-
aliter ad Ministerium appropriavit, sed etiam literis, quas Credentia-
les vocant, quaerit, ac illis summum privilegium, atque beneficium illum
exornavit. Non equidem illi tantum hoc mundo, vivunt tamen in
hoc mundo: dum igitur physicam vitam agunt, ab iis, quæ
vitæ præsentis commoditatem, & jucunditatem pariunt, arcedi mi-
nimè veniunt: Homines sunt, quæ proinde sunt humane vitæ neces-
saria, bona requirunt. Inter bona vitæ præsentis non postremum est
Conjugium, aulæ divinæ benedictionis, scholæ veræ pietatis, officina sin-
ceræ charitatis, tutela continentis castitatis, medela carnalis infirmitatis
palestra communis calamitatis, porta multiplicis felicitatis. Nec
facile quis omnes divinæ benedictionis dotes, Conjugio benedicto con-
cessas, recensere poterit. Malè proinde Pontifex Romanus contra
Iug divinum, Ecclesiasticum, naturale, Gentium, & Civile, conjugio sacerdo-
tibus interdixit, & Celibatum eorum impurum introduxit. Bene-
rò Tu, PEREXIMIE DN. RESPONDENS, eum Augustana Confessio-
ne tantæ Meretricis Babylonice Tyrannidi contradicis, & jura vel pri-
vilegia Sacerdotum masculè defendis. Nam cum hæcenus & pie-
tatis, & sedulitatis Alumnus non ignotus in Academia nostra fueris,
& in privato Collegio varia mentis & lingue pericula sustinueris, atque
rerum Theologicarum peritiam non exiguam obtinueris, nunc in pu-
blicam Cathedram prodire contendis: & quia, Deo volente, Patro-
norum faventibus, Sacerdotalem aliquando spartam subire, Tibi propo-
sui, pro Sacerdotum juribus, atque privilegiis, disputare suscipisti. Per-
ge, sicut occēpisti: nec deerit Tibi Dei Gratia, nec Patronorum bene-
volentia, nec exoptata laborum suorū evocatio. Vale in Domino,
& cum Domino semper age feliciter, quod Tibi, Tuisque Studiis cæ-
litus precatur,

TUÆ PEREXIMIÆ PRÆST.

Studiofiss.

JOHANNES Deutschmann/ D.



426399

Jovâ Juvante!
DISSERTATIO POLITICO-OECONOMICA, IX

De
**SOCIETATE
PATERNA,**

Quam
SUPREMÔ ADIUVANTE PARENTE

Suffragiô Incltyti Philosophorum Ordinis,
in Almâ Hermundurorum,
PATROCINANTE ET MODERANTE
Præclarissimô atque Excellentissimô

VIRO
DN. M. JACOBO THOMASIO,
Præclaræ Philosophiæ Professore Publico longè Ce-
leberrimô, Promotore suo atque Favitore debito

Honoris Cultu prosequendô,
Publica Eruditorum Disquisitioni submitte
JOHANN JORDAN LL. Stud.

Autor & Respondens,
Ad diem XV. Julii horis consuetis,
In Collegiô Principum Majori.
ANNO MDCCLXXXV. clō 15 C LIV.

LIPSIAE,
LITERIS COLERIANIS.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimo, Expe-
rientissimo, nec non Consultissimo,

DN. JOACHIMO ELSNERO,
Phil. & Medicinæ Doctore, atqve Reipubl. Vratisl.
Physico celeberrimo pariter & felicissimo.

DN. ANDREAE ASSIGIO,
Icto & Practico celeberrimo, nec non Curia
Vratisl. Advocato jurato.

U &

VIRIS

Nobilibus, Spectatissimis, atq; Integerrimis,

DN. GEORGIO Freyer / Civi & Mercatori
Vratisl. Seniori ac Primario.

DN. PHILIPPO VOLLGNAD, Reipubl.
Vratisl. Civi, Mercatori, ac Pharmacopolæ
famigeratissimo.

DN. CASPARO BUCHVALDERO;
Civi, ac Mercatori Vratisl. Primario.

DN. GREGORIO MENTZELIO, Civi, ac
Mercatori Vratisl. Spectato.

Dnn. Patronis, Affinibus, Fautoribus, & Pro-
motoribus meis æviternum devenerandis:

Hoc quaecunqve Meditamen Academicum,


humiliter & officiosè

D. D. D.

JOHANN JORDAN,



426400



In Nomine Domini nostri
JESU CHRISTI.

§. 1.

Domesticarum Societatum meritò suò
in Politicis pariter & Oeconomicis prima ponitur
Nuptialis, seu Conjugalis, quæ est inter Maritum
& Uxorem.

§. 2. Ab hæc proximam alii herilem faciunt,
alii paternam. Quorum nostrò judiciò neutri
malè. Habent enim tam illi, qui herilem præpo-
nunt, quàm illi, qui paternam, Rationem non absurdam, quæ si
sententiis illorum addatur, ipsis Contradictionem detrahit & adi-
mit.

§. 3. Illi, qui herilem paternæ anteponunt, respiciunt Familiæ
Naturam, cujus partes ut effectis præferantur, ratio suadet: Ajunt
enim, Partes Familiæ esse Servos; Liberos verò rectius effectus,
quàm Partes.

§. 4. Isti, qui paternam præferunt, rationem petunt è Naturâ
Conjugii; quippè cum Finis primarius Conjugii sit Sobolis Procrea-
tio, seu Propagatio Generis, qui nisi Liberi procreentur, obtineri ne-
quit.

§. 5. Quamquàm autem ferè accidit, ut novi Conjuges, antequàm
procreant Liberos (quin & sæpè antè consummatum Matrimonium)
de Familitiò sibi prospiciant: Ut hoc etiam Nomine herilis Socie-
tas paternæ præferenda videatur: Attamen, si primam Originem So-
cietatum omnium contemplamur, inficias iri non potest, Liberos
fuisse prius, quàm Servos. Cum enim à Deò inter creatos duos Ho-
mines Societas Nuptialis coaluisset, hi, qui huic pari accesserunt,
non servi primi omnium, sed liberi fuerunt.

§. 6. Imò, si patriam Societatem commendare libeat, in promptu

A 2

est

est Ratio, eam & Conjugalī præponamus. Nemō enim nostrum est hodiē, qui non antē, ut Filius ingrediatur patriam Societatem. nisi fortasse & posthumus nascatur, & à Matre inter pariendi Dolores extinctā, (cujus tamen Rei Exemplum nobis non occurrit) antequam ad Conjugalē adspirare queat. Quam Rationem & H. Grotius instituisse videtur *Lib. 2. d. Jure Bell. c. 5* ubi de Jure maritali, herili, & patrio acturus primò omnium Jus Parentum in Filios, qui pp̄ ex Generatione, non ex Consensu ortum, considerat.

§. 7. Hæc in gratiam Societatis illius, quæ est inter Parentes & Liberos, cum de eâ paragraphos quosdam proponere nostrum esset institutum, quasi Exordii locò præfatos esse sufficiat. Nunc ad Scopum, ac primò Locò solliciti sumus de Definitione Nominali, priusquam ad realem descendamus. In illâ verò tria consideranda veniunt: utpotè Etymon, Synonymia, & Homonymia.

§. 8. Quod concernit Rationem Nominis, seu Etymologiam, non aliundè appellatur hæc Societas paterna, seu πατρική; §. *Et h. 13. & 1. Polit. cap. ult.* quàm à potiori Personâ, quæ Pater est: A potiori enim, ut vulgare Axioma Logicum habet, sæpè fit Denominatio.

§. 9. Quantum ad Synonymiam, videtur eam quoque Aristot. *1. Polit. cap. 3.* appellasse τεκνοπιητικὴν, nisi tamen ibi eum, quod dicamus non de tribus domesticæ Societatis speciebus, sed de tribus Oeconomicæ (Prudentiæ) partibus, quæ sunt: ἰσοπτικὴ, prudentia regendi Servos, cui soli antè Aristotelem nomen erat factum; γαμικὴ, regendæ Uxoris, τεκνοπιητικὴ, regendorum Liberos, quibus ipse nomen hoc primus imposuit. Poterit tamen non incommodè ab hæc Facultate ad Societatem ipsam denominatio traduci.

§. 10. Possit & eodem ex Philosophò dici Societas, seu Amicitia domestica Regia, *1. Polit. cap. 8.* Imperat enim hic unus præcipue, quæ Regii Imperii Species est. Hæc verò de causâ dicitur Regia, quia Imaginem quandam & Speciem Regii Imperii representat. Naturâ namque Regem differre à suis quidem oportet, (id est, Naturæ Bonitate & Virtute seu Perfectione Civibus omnibus antecellere debet; quâ Notâ Regnum differt à Republ. ubi non necessariò unus à cæteris omnibus Perfectione Naturæ differt, iisque antecellit) quoad Genus verò esse eundem, (id est, Regis in Homines, ut Homines, est Imperium, liberi in liberos, quod accidit Ætati grandiori ad juniorum, & Parenti ad Prolem, Giphani. *Comment. in c. 8. Lib. 1. Polit.*

§. 11. Idem & aliis docet duabus Rationibus, quia Regalis Imperii Notæ sunt Benevolentia, seu Amor, & Ætas grandior. Regi enim convenit imperare, non Asperitate quâdam seu Tyrannide, verum Benevolentia. Deindè Regium est etiam imperare Natu grandiores: Cum itaque hæ Notæ inveniantur in Imperiò paternò, Veritati consentaneum erit, quod sit Regium. Quam Propositionem Aristoteles confirmat Oraculo & Autoritate Homeri, qui Jovem omnium Hominum & Deorum hanc ob causam Patrem appellet; cum & natu sit prior, & quâpiam Benevolentia imperet; Nam Parens quoque Liberis Amore quòdam præest.

§. 12. Synonymiam excipit Homonymia sive Æquivocatio, circa quam observatione dignum est, quod Voces hæ duplici modo accipiantur: Vel formaliter vel materialiter. Formaliter quidem, quatenus designant ordinem ipsum seu Conjunctionem Parentum ac Liberos; Materialiter autem pro Personis in hæc Societate constitutis.

§. 13. Fuit nominalis Definitio, hanc excipit realis, quam non materialiter pro Personis eam ingredientibus, sed formaliter pro Personarum istarum mutuâ Relatione acceptam damus; ac præterea non prout est in statu corruptò, sed bonò ac laudabili, consideratam hunc in modum:

§. 14. Societas Paterna est Conjunctio seu Societas domestica Parentum & Liberos, cum primis Educationis honestæ gratiâ.

§. 15. Quâ in Definitione Genus huic nostræ cum cæteris domesticæ Societatis speciebus commune est Conjunctio, seu Societas domestica: Per hanc enim alii definire malunt. Inter quos est Excellentissimus quoque Cellarius, qui Societatis Vocè pro Genere usus est.

§. 16. Conjunctionis Vocem accipimus hic non pro Actu conjungendi, sed pro Formâ Ordinis seu Unionis rebus ita conjunctis impositâ, è quâ postea nascitur Debitum Officiorum, quibus Parentes Liberos, & Liberi Parentibus sunt obstricti; planius pro Societate, non pro Sociatione.

§. 17. Adjecimus domestica, ut innuatur, Parenti & Filio posse publicam quoque seu Civilem Societatem intercedere, quæ, nisi in privatis, aut domesticis Actionibus ad Leges patriæ Conjunctionis non exigenda sit. Quâ de re scitè admodum & peritè apud Gellium differit Taurus Philosophus *Lib. 2. Noct. Attic. c. 2.* 18. Da-

§. 18. Dari Differentiam, quâ hæc Societas à reliquis discernatur, nullum est dubium; illam verò dicimus esse desumptam à subiecto & à Fine.

§. 19. Subiectum consideratur hic triplex: primò quidem Pater, penes quem summa est Potestas in hæc Societate. Secundo, Mater, penes quam quoque in Liberos est Potestas, licet non summa, quàm diu Pater est in vivis, attamen subordinata. Tertio constituuntur Liberi, quos non solum Parentes in potestate suâ habent, cum adhuc imperfecti sunt Judicii; verum etiam, quando illorum Judicium est perfectum & consummatum, sive adhuc in Parentum sint Familiâ, sive propriam constituerint Familiam.

§. 20. Finem statuimus esse primarium Educationem honestam; secundarium verò Adjumentum & Utilitatem. Quippe cum Societas paterna idè intendatur à Naturâ, ut Liberos Educatio & Institutio rectè efformetur, ut habet Aristot. 8. *Eth. c. 13.*

§. 21. Generis humani ab Interitu Vindicationem Finem esse putat Donaldson. qui Finis à Conjugii Fine dependeat, & omninò sit necessarius, ut Romulus Patresq; illi primi novæ Urbis observarunt: Cum enim Res Romana esset adeò valida, ut cuilibet finitimarum Civitatum Bellò par esset, Penuriâ tamen Mulierum Hominis tantum Ætatem duratura Magnitudo erat, quippe quibus nec domi Spes Pro-
lis, nec cum finitimis Connubia essent. Liv. *lib. 1.* Quod & Metelli Numidici Sententiam confirmat, quam ad populum dixisse refertur, cum eum ad capeßenda Matrimonia hortaretur; Si absqve Uxore possemus, inquit, Qvirites, esse, omnes eâ Molestiâ careremus: Sed quoniam Natura sic tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullò modò vivi possit, Salutem perpetuam potius, quàm brevi Voluptati consulendum. De quò Gellius *Lib. 1. cap. 6.* videri potest. Verum enim verò non est Finis Societatis conjugalis cum Fine Societatis patriæ, quod Donaldsonus facit, confundendus.

§. 22. Causam efficientem, consideratò Fine, cognoscere nobis consentaneum videtur, quam statuimus esse Naturam; (Natura enim omnium Rerum Mater est, Teste Eloquentiæ Parente Cicerone *Parad. 1*) Originem ergò suam habet hæc quoque Societas ex Natura ipsâ: & quidem ex Fine Societatis Conjugalis vel Matrimonii, qui est Procreatio Liberos; ex quò descendit Societas paterna. Hinc
&

& naturalis est inter Parentes & Liberos Amicitia, ut habet Aristot. 8. *Eth. cap. ult.* talis tamen, quæ est secundum Excellentiam & Supereminentiam, ut videre est, 8. *Eth. cap. 14.* id est, talis, in quâ inferior persona præter Amorem superiori quoque Honorem & Reverentiam debet.

§. 23. Formam Regiminis Societatis paternæ dicimus esse illam, quæ Regni Figuram præ se fert, ut asserit ipse Aristot. 8. *Eth. cap. 12.* cum Pater Liberos imperet βασιλεύς, id est, Regiò more, ut habet Aristot. 1. *Polit. cap. 12.* quò & innuitur, quod summa in illâ Potestas sit penes unum, nimirum Patrem, qui, ut Virtute & Ætate excellentior, Liberos imperat, & illorum Curam majorem gerit. Quem admodum enim in Regnò unus tantum est, qui summam tenet potestatem, nec duo ibi æquâ in potestate constituti, Formâ Regni retentâ esse possunt: ita etiam in paternâ Societate, quæ (ut jam dictum) Regni Figuram habet, potestas summa apud unum, ut potè patrem, existit, idè & patrem liberos in potestate suâ habere, omnes & singuli affirmare à veritate ipsâ compelluntur.

§. 24. Objectum hujus Societatis constituunt nobis parentes & liberi; Utrique Amore mutuo sunt conjuncti, atque inter se invicem societatem hanc fovent, ubi questio hæc enodanda sese offert; Cur parentes magis ament liberos, quàm liberi parentes? De quâ sub Finem nostræ Dissertationis verba facturi sumus.

§. 25. Quoad parentes in specie hic occurrit consideranda horum potestas, quæ ipsis est concessa non Civili Jure, sed Naturali & Gentium, cum Liberi apud omnes Gentes sub potestatem patriam redigantur, quod nec illi inficias ire possunt, qui Jus Patriæ potestatis tantum proprium Civium Romanorum facere satagunt, & Caji atque Justiniani Autoritate, defendere conantur per l. 1. §. 3. ff. de his, qui sunt sui vel, &c. & §. Jus autem 2. *Inst. d. patr. potest.* eò quod, ut Connan. *Lib. 2. Comment. cap. 13. n. 2.* & Coraf. *ad l. 3.* verbum proprium Civ. Romanor. de his qui sunt sui, & ibi Gothofr. nec non ad §. 2. *Inst. d. patr. potest.* confitentur, animadvertent, patriam potestatem neque ex Ratione Civili tantum prodire, neque à solis Romanis receptam fuisse; sed tum omnes Gentes pervagari, tum ex Ratione Naturali Originem trahere. Verum distinguendum est.

est inter potestatem patriam communem & propriam. De Jure Civili, quatenus sibi talem potestatem propriam à reliquis populis fecerunt, lubenti Animò hoc Jus proprium Civium Romanorum esse concedimus. Commune autem illud, quod apud omnes gentes parentibus in liberos competit, ex ampliori omnino Jure, quàm Civili dependet. Aliàs hæc Controversia admodum diu inter Politicos & Jctos quosdam ventilata est. Pro Jure autem Naturali seu Gentium non saltem Politici, verùm etiam Jcti quidam summæ Autoritatis Viri pugnant; & Argumenta produunt, à Causâ efficiente, cum non Lex, sed Deus ipse, ipsaqve Natura Animis Liberos in se verit, & implantaverit, Subjectionem & Reverentiam ergà Parentes: cujus Rei nullum Argumentum validius esse potest, quàm prima Lex secundæ Tabulæ; quia totus Decalogus ex principiis, quæ nobiscum nascuntur, educitur: & juxta Thomam comprehendit expositam Legem Naturæ, cumqve hoc Præceptum primò locò occurrat; sequitur exindè, hæc potestatem esse Juris Naturalis. Juris autem Gentium eandem esse probatur à communi Consuetudine, & Moribus omnium Gentium: Nam Rationes Naturales non introduxerunt tantum Jus Patriæ Potestatis; sed universæ Gentes unanimiter id receperunt: Iam verò id esse Juris Gentium, quod apud omnes recipitur, notum est. An autem huic potestati annexum esse debeat Jus Vitæ Necisqve, quæstione secunda considerabitur.

§. 26. Ex his Luce meridiana clariùs apparet, Liberos patriæ potestati & Jure Naturæ & Jure Gentium esse subiectos. Nunc considerandum venit, an etiam Matri talis Potestas in Liberos competat, sed de his Coronidis locò pluribus dicere Mens nostra expetit.

§. 27. Cum hætenus tam Onomatologiam, quoad Erymon, Homonymiam, & Synonymiam, quàm Pragmatologiam, quoad Definitionem, Genus, Differentiam, à Subiecto & Fine desumptam, aliaqve item huc pertinentia consideraverimus, quantum pro Facultate fieri potuit: reliquum nunc est, ut & videamus, atqve brevibus subjiciamus, quid scilicet Parentes Liberos, & hi illis debeant.

§. 28. Debent verò (a) parentes liberos matùre in tenerâ adhuc Etate Mentibus illorum infundere, tam Dei Cognitionem, & Pietatem, quàm bonos Mores. Pietas enim & Religio Rerum publ. firmissimum Fundamentum, à quâ Subditorum Fides in Principem, Obe-

Obedientia ergà Magistratum, Charitas in singulos Homines, & Justitia dependet, B. din. 4. de Republ. cap. 7. Meritò igitur Liberi à Parentibus ad pietatem, & veram Religionem à primis cunabulis statim compellendi, atqve in eâ fideliter informandi sunt & erudiendi: ut ita vivere advescant, ne Parentibus suis Moribus concilient dedecus, ignominiam, & infamiam. Quemadmodum enim membra infantium diriguntur, quamprimùm editi sunt à Matribus, ne in obliquum curventur: ita animi puerorum, cum adhuc sunt molles, & quasi cerei, ad quamlibet Institutionem fingi possunt; quæqve semel ita sunt impressa, postea tanquàm Marmor insculpta, firmiter inherent. E contrariò tam verum quàm quod verissimum illud est Ciceronis 2. de Orat. quod neque perfectè illud quisquam discat, quod ferò discere incepit.

§. 29. Cæterum debet Pater (B) quoque Filio suo Informationem ad aliquam artem & quidem honestam, unde adultus sustentare se possit, quæ aliàs ab Educatione separatur. Solon hoc caput patri fecit, ut veterit ali à liberis parentes suos, si ad honestas & laudabiles artes ab iis non fuerint diligenti studio instituti & adducti. Consistit autem hoc caput in artibus honestis, sive sint eæ in genere vitæ literatæ, sive non.

§. 30. Equidem, qui Literaturâ imbui Filios suos volunt, studiis (Y) exquisitis quoque & excultis erudiri illos curent. Ex studiis autem ea maximè sunt fovenda, quæ practicam respiciunt vitam; pro ut est peritia optimè versandi in Republicâ, item accommodata prudentia ad actiones, non verò illa, quæ in perpetuâ contemplatione cives detinet.

§. 31. Denique (D) Parentes Filios suos eò debent impellere, ut peregrinationes instituant, qui tamen corporis & animi ratione earundem sint capaces, nec parentes sumtibus illis erogandis & largiendis planè sint destituti & exenti; si verum & proprium Finem earum quoque probè cognitum sibi & propositum habeant; & proficiantur ad eos populos, ubi vel emendati & cultiores sint mores, vel aliud aliquid addiscere, non quos instruere & informare queant. Besoldus parte 2. disputat. polit. 2. c. 22. & seqq.

§. 32. Debent quoque (E) illis Nutritionem. Et Matres quidem ipsæ suis uberibus nulla adhibitâ nisi necessitatis excusatione alere debent.

debent. De quò Keckerm. *disputat. præl. 28. probl. 18.* & Richter. *Axiom. Oecon. 47.* Friedenreich. *1. Polit. 5.* referente Besold. *ad h. l.* Ad hanc enim naturali Ratione svadente parentes obligatos esse patet ex hoc, quod omnibus cum rebus ita comparatum sit, ut inde incrementum expectare habeant, unde fortitè sunt initium. Profectò enim improvidè ageret Natura, si foetus suos tantùm terris ostenderet, nec ultrà esse sineret, ob Nutrimenti Defectum. Secundùm Senecam enim natura nos cogitavit, anteqvàm fecit, *Lib. 6. de Benef. cap. 23.* Unde autem peterent incrementum, nisi ab iis, quèis Natura Facultatem ad hoc, stimulumqve addidit? Patres verò aliàs liberis de victu prospiciant, quò nomine non solùm Cibus ac Potus, sed vestes quoqve & reliqua ad vitam necessaria intelliguntur. Hinc Jcti affirmant, quod necare illi videantur, qui denegant alimenta: Nam neque boni est, neque liberalis parentis, illum quem procreavit, & eduxerit, non vestire & ornare. *Cic. 2. de Orat.*

§. 33. Officia, quibus Liberi Naturà Parentibus suis vicissim sunt obstricti & devincti, brevibus & paucissimis jam veniunt enarranda & proponenda: quorum primum est, quod parentibus, si indigeant, Victum & Alimenta exhibere tenentur, ceu docet Aristot. *Ethic. 9. cap. 2.* Quis enim adeò sit ingratus, qui parentibus suis in senio constitutis, & præter Culpam ac Meritum sapè ad incitas redactis, Alimenta & Victum recusare & denegare velit? Infames utiq; voluit esse liberos Solon, qui parentibus egentibus opem haut tulissent. *Diog. Læert. in Solon.* Admonent hujus Filios Paterna Beneficia, de quibus Romanæ Philosophiæ Siren Seneca *3. Cont. 4.* etiamsi Filius Patri suo benefaciat, non benefacit, sed benefactum rependit. Nam qui dat aliquid, si accepit prior, non obligat, sed reddit. *Plat. 4. d. LL.*

§. 34. Secundum officium liberorum consistit in honore, qui parentibus tribui debet; Parentibus enim honor est exhibendus, ut ait Aristot. *9. Ethic. cap. 2.* quemadmodùm Diis, & in extremò *cap. Ethic. 8.* iterùm inquit: Diis immortalibus & parentibus nemo potest honorem æquivalentem tribuere, sed qui eos pro viribus & facultatibus colit, is probus & pius esse putatur. Non tamen eòdem honore Pater & Mater est afficiendus; Verùm patri, utpote, qui est me-

melior, *3. Eud. cap. 7.* paternus, (scil. major,) matri verò maternus, (scil. minor) ceu docet Aristot. *9. Ethic. cap. 2.* utriqve tamen honor debetur, licet patri major, matri verò minor.

§. 35. Tertium consistit in præstandà Obedientià & Reverentià Parentibus, ut in impari amicitia, qui dignior & superior, ex lege amicitia inæqualis, alteri inferiori ad beneficia præstanda; ille autem, qui inferior, superiori ad Obedientiam & Reverentiam præstandam obligatur: ut ergò pater, qui in domesticà Societate locum Principis occupat, suum amorem beneficiorum suorum excellentià edere debet: ita & filius, tanqvàm persona inferior, ad Obedientiam & Reverentiam præstandam Patri omninò est obligatus. Hanc enim & lex divina, ut patet *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Syr. 3. v. 2. seq.* cum singulari Emphasi liberis inculcat: quin imò Turcæ inter octo sua vitæ præcepta tertio loco jubent liberos colere parentes suos. Et rectè Plato *l. 9. & 11. d. LL.* parentum Execrationes atqve vota jubet attendi; quasi nihil sit, quod à præpotente Deò efficacius exaudiatur: Ac memorabilis est versus, qui Orpheo tribuitur: *Affligunt Natos Dira & Maledicta parentum.* Neque incommodè referrì huc potest Imperatoris Alberti Constitutio adducta à Schneidvv. *suprà Tit. d. patr. potest. n. 27.* Welcher Sohn aber seinen Vater an seinem Leibe mißwillig und freventlich angreiffet/ oder ihn verwundet und fâhet/ derselbe sol Ehrlos und Rechtlos seyn ewiglich/ und zu keinen Ehren oder Rechten nimmermehr kommen mögen. Hoc est: Quicumqve Filius Patrem suum temerè invadit, vulnerat, vel capit, ille perpetuò infamis, & omni Auxilio Juris destitutus sit, nec ei ad honorem & Jus pristinum ullus unqvàm regressus pateat.

§. 36. Ultimum est Timor, quem liberi parentibus debent, non quidem servilem, qui cum Odiò ejus, qui timeatur, est conjunctus, sed filialem, qui cum amore ejus, qui timeatur, est conjunctus. Duæ enim timoris sunt species: Una, quæ adjunctum habet amorem, qualis est piorum liberorum ergà parentes, & civium benè moratorum, ergà Magistratus, quibus sese curæ esse sentiunt: Altera non caret animi alienatione & odiò, & ita timent Dominos Servi, & qui injustà vi oppressi sunt, Tyrannos, ut ait Aristot. *1. Oecon. cap. ult.*

§. 37. Expositis hisce in specie, quæ sint tam parentum, quam liberorum officia, hoc est, quid invicem parentes liberis, & quid li-

beri debeant parentibus; nihil nunc nobis amplius reliquum esse
putamus, quàm ut suprà dictas quæstiones adjiciamus: quarum
hæc est

PRIMA.

*Cur Parentes magis ament Liberos, quàm
Liberi Parentes?*

TAm notum quàm quod notissimum est, quòd in communi Pro-
verbio dici assolet: Amor Naturalis magis descendit, quàm
ascendit, & parentes impensius amant liberos, quàm vice ver-
sà, ut docet Aristot. 8. *Ethic. cap. 12.* In Evangelicà Historià, cum
toties occurrant parentes, qui salutem liberis exorant, nullibi pro-
dit filius deprecatum pro patre; sed sapius evenit, ut

Filius ante Diem patrios inquirat in Annos.

De quò Seneca. 5. *Benef. cap. 17.* loquitur: Quis non patri suo supre-
mum diem, ut innocens sit, optat? ut moderatus, expectat: ut pius,
cogitat? Proverbium autem adductum confirmatur evidentissimis
rationibus ab ipsò Aristot. d. l. 1. quia parentes magis sciunt, liberos
esse suos, quàm liberi sciunt, suos esse parentes: 2. quia parentes ma-
gis liberis conjuncti sunt per Naturam, quàm liberi parentibus, cum
liberi sint de substantià parentum, non contrà; quia propius con-
junctum est genito id, à quò est, quàm procreatum procreanti. Est
enim, quod à quòpiam est, proprium ei, ex quò est, ut dens, pilus,
aut quidvis aliud habenti, illorum verò nulli id, ex quò est, vel minus.
Hinc omnis artifex amat suum opus, etiamsi ab eò non redametur.
3. quia parentes suos liberos diutius amârunt, quàm hi illos; Amant
enim statim, postquàm in lucem editi sunt. Liberi autem tum de-
mùm incipiunt amare, quandò parentes suos incipiunt agnoscere.
4. quia parentes liberos, ut seipfos amant: qui enim ex ipsis oriun-
tur, sunt quasi alteri ipsi, quia separati sunt: Filii autem parentes,
ut ab illis enati. Cur autem matres magis ament liberos, quàm pa-
tres, indè accidit; 1. quia mater majori cum labore liberos acquirit,
ut habet Aristot. 9. *Eth. cap. 7.* 2. quia majorem de illis certitudinem
habet, ut habet Aristot. 8. *Ethic. 14.* & 9. *Ethic. cap. 7.* Undè & hunc
manas-

manasse putat Giphanius morem, quòd Liberi Patrem sequi, matrem
verò præcedere solent.

SECUNDA.

*An Jus Vitæ & Necis Parentibus rectè sit
denegatum?*

Romanos olim Patribus in Liberos Vitæ Necisque Potestatem
concessisse extrà dubium est, neque desunt exempla Potestatis hujus
quasi Jure quodam usurpatæ. De Gallis idem affirmat Cæsar *Lib. 6.*
de Bello Gallico, cap. 19. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque
habent potestatem. Eadem Lex, si Bodino credimus *Lib. 1. de Republi-
câ cap. 4.* Indorum omnium, qui sunt ad occasum, communis fuisse
dicitur, priusquàm Hispani novas leges dedissent. An Persæ quo-
que, (ut idem habet Bodinus) eadem potestate uti consueverint,
haud immeritò dubitamus. Etsi enim huc ducunt verba Aristotelis
8. *Ethic. 10.* ἐν πέρσῃσι ἐτὶ πατρὸς (δέχῃ) τυραννικῆ. χρῶνται ὅς ὡς
δαλοῖς τοῖς υἱέσι, quibus fortè paria exstant in Politicis à Bodinò sine
libri & capitis mentione allegatis: tamen, ut ad eum locum observa-
vit Moretus, è Cyripædiâ Xenophontis aliud intelligi potest: quod
Briffonium, cum eundem Aristotelis locum *Libro 2. de Regno Persicò,*
p. m. 200. citaret, fugisse, mirandum. Sanè enim Observatio Mu-
reti egregiè confirmari potest ex Æliano, qui *Lib. 1. Var. hist. cap. ult.*
commemorat, quemadmodum Rhacoces quidam genere Mardus
(sunt autem in Persis Mardi) minimum natu filiorum comprehen-
sum ad Iudices ejus traditò abduxerit, eumque ob Inobedientiam ac
pervicaciam insignem accusaverit capitis, qui hanc Litem porrò ad
Persarum ipsum Regem Artaxerxem protulerint: Regem Patre col-
laudatò in Collegium Regionum Judicum eum cooptasse, filio verò,
si sic pergeret, mortem haut dubiam interminatam. Quòd autem
Hebræos quoque vult Bodinus potestatem necis Patribus in Filios de-
disse, fallitur. Ex locò enim *Deut. 21. v. 18. & seqq.* nequaquam, quod
ille asserit, probabitur, lege hæc divinâ tributam esse parentibus po-
testatem in filios ergà se rebelles Lapidibus obruendi, modò id fiat
præsente Magistratu, cui nulla ejus Rei Cognitio, aut Jurisdictio de-
tur: sed tantum: potuisse parentes contumacem filium ad seniores

Civitas ac Portam Judicii (judicandum ergò publicè) ducere & accusare, ut postea (convictus scil. & lege publicà per Magistratum damnatus,) lapidaretur, (non à parentibus ipsis, quos probabile est manus suas non miscuisse, sed, ut habet textus expressè) à populo Civitatis. Verùm hæc utcunqve se habeant, de Romanis quidem, ut initiò scripsimus, explorata & indubia res est. Sed & apud hos ipsos postea hanc potestatem vitæ necisque in liberos abrogatam constat. Rectè omninò; sive enim politicè consideres, tollit ea potestas discrimen inter liberos & servos, neque timorem filialem conservare in liberis potest, sed est verè *πυρρὸν*; sive Theologicè, fieri non potest, quin pater eà utens violet præceptum illud Decalogi, quod quarto, quò filii obedientia præscribitur, est proximum. Tametsi verò Bodinus contendit, id jus patribus, quod illis perniciosò exemplò ademptum putat, restitui oportere; tamen argumenta ejus tanti non sunt, ut nos debeant abducere à sententiâ. Quorum solutionem Conflictui reservamus. Videantur interim contrà Bodinum disputantes Arniszus *Lib. 1. Polit. cap. 5.* Vellsten, *Dec. III. quest. Polit. 6.* Liebenthal *Exerc. IV. Colleg. Polit. qu. 3.* aliiqve.

TERTIA.

Utrum Potestas patria matri etiam competat?

R. Matrem ab hac Potestate non penitus esse exclusam, in propatulo est, cum non omnis ipsi in liberos denegari possit; Sed non eandem tamen seu parem cum Patre potestatem habere dicimus. Debetur enim quoque Matri in Liberos quædam Potestas ex Iure Divinò & Naturæ per ea, quæ tradit Aristot. *8. Ethic. cap. 7. 11. 12.* quia Pars continetur in toto & sequitur Regimen totius; Liberi verò sunt Germi-
na, & quasi Partes, non tantùm Patris, sed & Matris, ceu docet Arist. *8. Eth. 12.* Porro qui accipit Beneficium, Libertatem suam vendit, & venit in dominium ejus, à quò afficitur Beneficiò, ex quò fonte derivat Aristot. *8. Eth. cap. 11.* Amicitiam, quam collocant inter parentes & Liberos, quia scil. Magnitudine Beneficiorum Parentes sibi tenent Liberos devinctos, & subjectos, Notum autem est, Matrem plus molestiæ devorare, dum uterò gerit, plus periculi sustinere in partu, plus diligentia impendere, dum lactat & educat, quàm patrem. Idcirco licet patri ex aliò capite plus debeat Reverentiæ, ut paulò post

post subicere volumus, non potest tamè mater ab omni vel potestate vel reverentiâ eximi, ut Clytemnestra apud Euripidem non solum Marito, sed & sibi sumit potestatem liberos elocandi, quos pepererat; quod & in Eorò Saxonico observari sœvit. (*In Tract. d. Matr. c. 3. sect. 10 n. 27.*) Adde, quod pueros sub adultorum, imperfectos sub perfectorum Imperium condemnet Aristot. *1. Polit. c. ult.* non solum verò Pater, sed & Mater tùm Ætate superat, tùm prudentiâ præit liberis. Interim tamen, quia pater principium est totius generationis, adeoq; Autor Vitæ; quia ejus curâ & sumtû aluntur, instituuntur & elocantur Liberi, accipiunt Familiam, Dignitatem à Patre; quia Ætate, Prudentiâ, perfectione uxorem exuperat, & denique quia Matrem ipsam in Autoritate & Imperiâ suâ detinet; ex his rationibus fit, ut patri magis debeat potestas in liberos, quàm matri. De Iure Divinò quoque honor & reverentia matri debetur, vi quarti præcepti in Decalogò. Et exemplò Simsonis, qui tam à matre, quàm à patre uxorem accepit, hoc docemur. Denique hoc non obscure videtur significare Imperator princ. *Instit. de Nupt.* cum dicit, quòd naturalis ratio suadeat adhiberi Consensum Parentum; Jam verò naturalis ratio non minus sese extendit ad matrem, quàm ad patrem; nam & rationes antea adductæ non sunt Civiles, sed naturales, neque constituunt jus aliquod Civile, sed naturale. Nobis itaque videtur matri, omnimotò dubiò posse potestas concedi & committi in liberos, adhibita saltem hac, inter Potestatem Civilem & naturalem, Distinctione.

Ad Præstantissimum & Politissimum

DN. RESPONDENTEM.

*Sic specimen specitur, certamen cernitur aptum;
Edita propugnæ tmemata quando simul,
Delicium Phœbi, JORDAN, nova fama Minerva,
Pulchra tua patria gemma future brevi.
Irrigat arva velut Iordanis tempore messis:
Sic adjumento pluribus, opto, sies.*

Perscribebat.

Hieronymus Kromayer D. P. P. & p. t.
Phil. Fac. Decanus.

Dn. Johanni Jordano, Affini, de Societate
Paternâ disputanti.

Cur ea, qua Costa Mas, vel que Costa Marito,
Vel Domino, præstat Debita Verna suo,
Non; sed quam socios constringant Vincla Parentes
Et Natos, placuit differuisse Tibi?
Thura litas Themidi, ac ipsus Tibi ritè ministras;
Hinc licuit tantùm commemorâsse Patris.

Vratislav. deprop.

Andreas Asieg.

Quæ Jura Patres; Quisvè nexus Filios
Parentibus constringat, & quid foederis
Socii invicem coarctet illos mutuò;
Vestri Lycei Patribus docta Thefi,
Jordane, Fama est velle Te proponere.
Quibus Tuis applaudimus Conatibus
Precorqve pergas sedulus niti hâc viâ;
Ut quod Parentes pollicentur & Soror,
Adimpleatur Dotibus Tui Ingeni.

*Hic amici contestandi Affectus ergò
gratulabatur Præstantissimo
Dno Respondenti*

*Fridericus Roth, Juris
Practici.*

F I N I



I. N. 7. X
APHORISMI THEOLOGICI,

Ex
SCHOLA PIETATIS GERHAR-
DIANA,

De
CAUSIS IMPELLENTI-
BUS AD PIETATEM,

Decerpti,

Quorum

Congeriem I.

EX PRÆFATIONE ET DE ATTRIBUTIS
DEI COMMUNITER, AC IN SPECIE

DE BONITATE,

PRÆSIDE

SAMUELE SCHELGUIGIO,

S. Theol. D. & Prof. P. Athenæi Rectore

& ad S. S. Trinit. Pastore,

In Auditorio Maximo

publico solennique examini subjicit

RESPONDENS

LEONHARDUS GEBAUERUS, Silesius.

Hab. d. XXII. Junii MDCCII.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,

ATHEN. TYPOGR.